



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

Canisius, Heinrich

Coloniae Agrippinae, 1662

In Cap. ultimum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

In Cap. ultimum.

SUMMARI.

1. Denuntiatio publicā factā an quis admitti possit ad accusandum matrimonium.
2. Diversitas inter accusatorem & testem.

Rejicitur hoc Cap. & is accusator, qui post præfixum tempus denuntiationi (quæ solet in Ecclesia proponi ad objiciendum impedimentum canonicum, si forte aliquod subit inter contrahentes) impedire vult matrimonium postea contractum; eò quòd suspectus habeatur, rem in tempus contracti matrimonii sponte & malitiosè differendo. Unde is, qui ignoravit publicam denuntiationem factam esse, putà quia fuit extra dioccesin, vel infirmitate correptus, ita ut exilium mentis pateretur; vel in puerili ætate constitutus, ita quòd iudicio caruerit, aut alià legitima causa præditus fuerit tempore denuntiationis, terminus denuntiationi præstiturus nihil nocet, cum adhuc impedimentum possit objicere. Idem est in eo, qui etsi in diocesi fuerit, tamen denuntiationis tempore impedimentum ignora-

vit, sed postea priùs didicit: nam & hic admittitur ad accusandum siue denuntiandum impedimentum, dummodò juramento suo ignorantiam suam confirmare possit. Usque ad eò, licet didicerit impedimentum ab iis, qui tempore denuntiationis tacuerunt; cum huic nulla culpa imputari possit, quòd tamdiu tacuerit, *per hunc text in fine.*

Ubi notanda est differentia accusatoris & testis, quòd scilicet accusator admittitur ad accusandum matrimonium, etiam si ejus auctor, à quo habet, admitti non possit. Secus in teste; hic enim repellitur à testimonio, sicut ejus auctor, *c. Licet 47. sup. De testibus.* Diversitatis ratio hæc est, quòd accusator intentionem suam fundit non in nuda accusatione, sed in testibus siue aliis probationibus, ac proinde culpa auctoris sui sibi nocere non debet, qui culpa vacat. Testis verò fidem testimonii sui totam collocat & petit ex persona auctoris sui. Quare si hic repellitur, similiter & ille. *Ita Panorm. num. 10.* Observa hoc Cap. banonorum appellatione venire denuntiationes, quæ in templo fieri solent, ut jam dixi.

IN TIT. XIX. DE DIVORTIIS.

SUMMARI.

1. Divortium unde dictum.
2. Divortia qualiter olim ferent.
3. Hodie divortium admittitur tantum in duobus casibus.
4. Ex causa adulterii vel sevitia fit tantum separatio quoad torum.
5. Divortium in quo differat à repudio.
6. Divortii cognitio ad quem spectet.

CAjus Jurisconf. divortium vel à diversitate mentium dictum putat, vel quia in diversas partes eunt, qui distrahunt matrimonium, *l. 2. D. De divort.* † Et enim olim apud Ethnicos solo utriusque consensu vel etiam alterius tantum voluntate, civibus tamen Romanis seiprem adhibitis, divortium celebrabatur, hac verborum formula adhibita: *Tuas res tibi habeto, vel, Tuas res tibi agito.* Idque fiebat vel inter præcantes,

vel absentes, videlicet per libellum repudii, *l. 2. l. Nullum 9. & passim D. h. 2.* donec Theodosius & Valentinianus Imp. Christiani ad certas causas divortium constrinxerunt, quæ recensentur in *l. Consensu 8. C. De repud.* quarum tamen pleraq; Justinianus sustulit, ut videre est in *Nov. 117. ut liceat matri & avia, &c. §. quia verò plurimas.* Quas non attingit hic adferre; † cum in causis divortii sequamur hodie jus Canonicum, quo nullum divortium admittitur, *c. 1. c. Ex parte 9. sup. De sponsal.* nisi duobus casibus: uno, propter ingressum Religionis, quod etiam fit altero conjugum invito, *c. 2. & c. Ex publico 7. sup. De convers. conjug.* Altero per conversionem alterius conjugum ad Christianam fidem, *can. Si infidelis cum can. seq. xxviii. quast. 1. can. 2. ead. quast. 2. c. Quanto & c. Gaudemus h. tit. sicut latius ibidem dicitur.*

Loquitur verò de divortio quoad ipsum vinculum conjugale, quando illud placè inter conjuges viventes dissolvitur: quod non fit, nisi in